

quanam praesertim in re prolifica seminis virtus contineatur, id tamen omni exceptione maius per experientiam redditum est, eos, qui tenui gaudent spermate, prolibus procreandis nequaquam aptos reperiri. Neque semini praeparando lymphae regressus utilis solummodo iudicandus est, quin potius idem praeterea partibus corporis humani laetius crescendis et roborandis admodum inseruit. Quum enim nutritio eius peragatur ita, ut gelatinosae partes ad solida sensim deponantur, et vnum cum iisdem corpus constituent, elucescit profecto, quam necessaria lymphaticorum humorum abundantia esse debeat, et quam caute eapropter prospiciendum nobis sit, ne tam boni humoris excretionem nimiam instituamus. Quae enim si facta fuerit (atque hoc quidem fieri potest vel nobis volentibus, prouti in nimia spermatis aut sanguinis, et lymphae vtrisque admixtae, profusione, vel inuoluntarie, quemadmodum diabetes testatur) mala corpori illata esse deprehendimus, quae longo indigeant temporis interuallo, antequam abigi ab eodem possint. Saeuiunt enim plerumque in corpus humanum sic, ut debilitatum prorsus videatur, atque propterea non interna minus, quam externa sensus et motus organa muneribus suis fungi plane nequeant.

Sed, ni abrumperemus sermonis filum, verendum profecto nobis esset, ne TV, VIR DOCTISSIME, crederes, nos TVI, honorumque in TE hodie collatorum oblitos prorsus esse. Quamobrem, ut ne huic de nobis existimationi suppeditasse materiem videamur, relinquamus hoc de spermatis regressu argumentum, et ad alteram officii partem absoluendam nos accingamus. Quum enim Bosiana Societas, cui TE interfuisse impense laetamur, votis, iisque sincerrimis eos prosequi soleat sodales, qui laborum praemiis a gratiosa medicorum facultate ornantur, non possumus non TIBI de nouis honoribus ex merito in TE collatis animitus gratulari, et, ut fausta quaeuis TIBI nullo non tempore contingant, precari. Nos vero ut eadem humanitate atque beneuolentia, quibus huc vsque erga nos usus es, amplecti velis, etiam atque etiam rogamus.